



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

V. Legati dabantur Proconsulibus, à Senatu; ut eos parte curarum levarent. Proconsules mandabant jurisdictionem Legatis in provincia; quam nec eis adimere poterant, nec in eos jus gladij transferre. ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

imperium non omisit, quod deinde sequentibus Imperatoribus delatum est, qui ex eo dicti sunt etiam saepissime Proconsules; ut patet & variis inscriptionibus antiquis, & ex epistola Heliogabali apud Dionem, qui se *ἀρχὴν* seu Proconsulem inscripsit. Quod eo consilio mihi videtur Augustus instituisse, ut Proconsules, qui provincias populi administrabant, se auspiciis Augusti, qui summus erat Proconsul, eas gerere non ignorarent. Itaque illud erat eximium in Principe, quod etsi Proconsules à provinciis reduces portam Romae ingressi deponerent imperium, ut docuit Vlpianus, tamen id datum Augusto & ceteris Principibus ut etiam intra pomerium Urbis proconsulare imperium retinerent, teste Dione. Quare ut aliquod delictum superesset inter Augustum & Caesarem, Antoninus Imperator Marco Aurelio appellante Caesaris à se donato tribunitiam potestatem contulit, & proconsulare imperium *extra Urbem*, ut loquitur Capitolinus, non autem intra Urbis pomerium. Itaque assentiri non possumus viris eruditis, qui existimant vanam esse adjectionem illam, *extra Urbem*, in loco Capitolini laudato. Nam, inquit illi, imperium proconsulare extra Urbem tantum fuit. Quod verum in ceteris omnibus, praeter solum Principem.

V. Ex eodem autem Augusti instituto, provinciarum Praefectis, si Consulares essent, tres Legati adjungebantur; unus autem Legatus, si essent Praetorij; quemadmodum observat Dio. Eos vero Legatos non pro arbitrio suo sibi Proconsul quisque legebat, sed ei dabantur à Senatu. Vnde Capitolinus adnotavit, Gordiano Proconsuli Africae filium ejus à Senatu Legatum fuisse datum. Quia vero Principes hanc Senatus auctoritatem debilitaverant, Probus Imperator ejus restaurandae cupidus *περμιση πατριβους* ut Proconsules crearent, Legatos Proconsulibus darent. Legati autem dati Proconsulibus, ut in partem curarum venirent, & administrandae provinciae onere illos levarent, quemadmodum recte adnotavit Appianus: *ὁ τῶν ἡγεμόνων ἐπὶ τῶν ἐθνῶν ἐπιπέδους ἐπὶ τῶν ἐθνῶν*. Quod ex libera Reipublicae institutis profectum, ut patet à locis Varronis & Ciceronis, quos viri docti collegerunt. Quare statim atque Proconsul ingressus esset provinciam, mandare jurisdictionem suam Legato debebat. Legatus enim nihil proprium habebat, nisi ei mandata esset jurisdictione, quam ei adimere Proconsul non poterat inconsulto Principe, quemadmodum nec potestatem gladij sibi datam ad Legatum transferre. Ideoque si quid esset quod

majorem animadversionem exigeret, rejicere apud Proconsulem Legatus debebat. Neque enim jus habebat animadvertendi, coercendi, vel atrociter verberandi: quamvis causas criminales audire posset, ea conditione, ut praedictas custodias ad Proconsulem remitteret. Si quid etiam incideret ardui, Legatus non Principem consulebat, sed Proconsulem suum, qui ad ejus consultationes respondebat.

VI. De Legatis Proconsulis intelligendus est Spartianus, ex quo quanta esset eorum dignitas colligi potest. Falces enim illis praeferebantur, privati ab eorum amplexu arcebantur; usque datum ut in vehiculo aequae ac Proconsules sederent. Elegans est locus de Severo: *Ἄτα καὶ ἐστὴν τῆς Σαρδηνίας, ἐπιπέδου τῆς Αἰθιοπίας*. In qua legatione quum cum quidam municipum suorum Leptitanus, praecedentibus fascibus, ut antiquum contubernalem ipse plebeius amplexus esset, sustibus eum sub elogio ejusdem praecis cecidit: Legatum populi Romani homo plebeius temere amplecti nolito. Ex quo factum est ut in vehiculo etiam Legati sederent. Vnde apparitio communis erat Proconsuli & ejus Legatis, ut docent Arcadius & Honorius. Itaque dubitandum non est quin Legati Proconsulum à privatorum forte remoti, verum magistratum gererent. Quare tutores dare poterant, etsi tutoris datio esset actus legitimus; & apud eos vindictam manumitti poterat, ut docet verbis conceptis Paulus I C. Non me latet in contrarium sensum Paulum trahi à summo viro Cujacio, addita ad textum negatione, ut conciliet hanc legem cum Marciano, qui disertè scripsit Proconsules quidem statim quam Urbem egressi fuerint, habere jurisdictionem, non contentiosam, sed voluntariam; unde & manumissiones & adoptiones apud eos fieri possunt: *Apud Legatum vero Proconsulis nemo manumittere potest, quia non habet jurisdictionem talem*. Plures conciliandae hujus ἀπονομῆς modos commentum sunt eruditi viri, repudiata negatione quam superioris legis textui Cujacius injecebat. Sed non est quod tantopere laborent in re facili. Discrimen assignat Marcianus Proconsulis & Legati. Ille insignia proconsulatus gerit statim atque Urbem egressus est; & potestatem exercet antequam ingrediarur provinciam, non contentiosae quidem jurisdictionis, sed voluntariae, ita ut apud eum manumissiones & adoptiones fieri possint. Legatus vero ne voluntaria quidem jurisdictione uti potest; quia nulla illi mandari potest à Proconsule, nisi ut ea utatur in provincia; sed post adventum suum, mandatam jurisdictionem exercet, jus dicendo, judices

L. 6. §. 4.

Capitulum in quo Augustus imperium proconsulare intra Urbem contulit.

De Legatis.

Capitulum in quo Augustus imperium proconsulare intra Urbem contulit.

L. 4. §. 4. de off. Praef.

L. 4. §. 4. de off. Praef.

L. 4. §. 4. de off. Praef.

L. 4. §. 4. de off. Praef.

L. 4. §. 4. de off. Praef.

L. 6. §. 4.

Spartianus.

L. 1. C. De appellationibus Proconsulis & Legati lib. 12. l. pen. off. de offic. Proconf. & l. 17. ff. de manumissionibus vindicta. L. 1. & 1. ff. de officio Proconf.

Cujac. l. 1. Observat. c. 1.

L. 4. §. 4. de off. Praef.

